CAROLI FRID. HEINRICHII

ELOQ. ET LL. GRAEC. PROF. P. O. IN ACADEMIA REGIA KILIENSI

DEMONSTRATIO ET RESTITUTIO

LOCI CORRUPTI

E PLATONIS PROTAGORA.



KILIAE
IN LIBRARIA ACADEMICA.
1813.

In Protagora, divini philosophi libro eximio et laudatissimo, ea parte, ubi sophista inducitur disserens, virtutem doctrina tradi posse, et deinde rationem proponens, cur, cum viri praeclari in rebus cunctis, quae praeceptione continentur, instituant filios suos ac peritos faciant, qua tamen ipsi virtute excellant, in ea nihilo meliores efficiant *); ista igitur parte locus exstat illustris commemoratione fabulae Pherecratis, prisci Comici, quae erat *οἱ Ἄγριοι* inscripta, actaque Athenis, uti Athenaeus haud dulie ex vetere Didascaliarum auctore per-

*) Graeca sunt in Protagora p. 324. D. Steph. *τί δήποτε οἱ ἄνδρες οἱ ἀγαθοὶ τὰ μὲν ἄλλα τοὺς αὑτῶν υἱεῖς διδάσκουσιν ἃ διδασκάλων ἔχεται καὶ σοφοὺς ποιοῦσιν, ἣν δὲ αὐτοὶ ἀρετὴν ἀγαθοί, οὐδενὸς βελτίους ποιοῦσι.* Postremum hoc vulgo intelligunt *ceteris meliores*, idque secutus est clarissimus interpres in Vers. Germanica Vol. I. p. 259. Sed aliud docet in superioribus locus p. 320. B. ubi eadem sententia Socratis ore ita profertur: *καὶ ἄλλους σοι παμπόλλους ἔχω λέγειν, οἱ αὐτοὶ ἀγαθοὶ ὄντες οὐδένα πώποτε βελτίω ἐποίησαν οὔτε τῶν οἰκείων οὔτε τῶν ἀλλοτρίων.* Adde illud dictum eodem sensu postea p. 328. A. *προβιβάσαι εἰς ἀρετήν.* Scilicet *βελτίους* intelligendum, non *meliores aliis*, sed *meliores, quam per se ipsi sunt.* Multa nimis nota attingit in commentariis suis Heindorfius; sunt alia, quae

hibet (V. p. 218. D.), Dionysiis Lenaeis Archonte Aristione, id est, quarto anno octogesimae nonae Olympiadis. Qui quidem locus cum sit valde obscuratus et ignoratione fabulae Pherecraticae et alia quadam causa, quam suo posthac ordine explicabimus, cumque sic, ut vulgo fertur in codicibus adhuc collatis, editionibus et versionibus omnibus, utpote planae et perspicuae prorsus expers sententiae, nequaquam intelligi possit: sumsimus nobis nunc illum locum paullo accuratius pertractandum, ne diutius ibi lux lateat pernecessaria tot hodiernis admiratoribus Platonis. Hic locus sic legitur p. 327. C. et D. Steph. Οὕτως οἴου καὶ νῦν, ὅστις σοι ἀδικώτατος φαίνεται τῶν ἐν νόμοις καὶ ἀνθρώποις τεθραμμένων, δίκαιον αὐτὸν εἶναι καὶ δημιουργὸν τούτου τοῦ πράγματος, εἰ δέοι αὐτὸν κρίνεσθαι πρὸς ἀνθρώπους, οἷς μήτε παιδεία ἐστὶ μήτε δικαστήρια μήτε νόμοι μηδὲ ἀνάγκη μηδεμία διὰ παντὸς ἀναγκάζουσα ἀρετῆς ἐπιμε-

aut ignota aut minus vulgaria praetermittat; in his ratio loquendi, qua decepti interpretes sunt, οὐδενὸς βελτίων. Eius exemplum apud Demosthenem Olynth. II. p. 23, 4. ὡς δ' ἐγὼ . . . τινὸς ἤκουον, ἀνδρὸς οὐδαμῶς οἵου τε ψεύδεσθαι, οὐδένων εἰσὶ βελτίους, ubi corrigendum e Codice Bavarico: οὐδενός εἰσι βελτίους, id est, οὐδενὸς βέλτιον ἔχουσι. Nam ab huius quoque loci sententia aberravit novissimus interpres Demosthenis. Illud in eodem loco, οἵου τε ψεύδεσθαι, propter particulam τε turbare neminem debet, ut Reizium turbavit, de Prosod. Gr. p. 94. Non solum illa explicari potest particula, sed testes etiam habet satis idoneos, Iulianum et Aristidem, qui haec totidem verba Oratoris per suas imitationes repetierunt. Vid. Wyttenbachii Epist. Crit. ad Ruhnken. p. 35.

λεῖσθαι, ἀλλ' εἶεν ἄγριοί τινες, οἷοίπερ οὓς πέρυσι Φερεκράτης ὁ ποιητὴς ἐδίδαξεν ἐπὶ Ληναίῳ. Ἦ σφόδρα ἐν τοῖς τοιούτοις ἀνθρώποις γενόμενος ὥςπερ οἱ ἐν ἐκείνῳ τῷ χορῷ μισάνθρωποι ἀγαπήσαις ἂν εἰ ἐντύχοις Εὐρυβάτῳ καὶ Φρυνώνδᾳ, καὶ ἀνολοφύραι' ἂν ποθῶν τὴν τῶν ἐνθάδε ἀνθρώπων· πονηρίαν νῦν δὲ τρυφᾷς, ὦ Σώκρατες, κ. τ. λ. Verba adscripsimus plane ut nuper edita sunt ab Heindorfio in Platonis Dialogis Selectis Vol. IV. p. 528 et 529, servata ea et scribendi et interpungendi proprietate ac novitate, quam haud pervulgari et praepostera imitatione usurpari velimus, antequam eius usurpandae ratio magis constet, aut imitandae necessitas aliqua vel utilitas sit demonstrata. Nam, ut lenius feramus morem, non sane, quod vulgo putant, primum a Reizio inductum, sed ab hoc affectatum post alios quosdam magistros, quibus iam dudum placuerat id artificium pro ὅστις, ὥσπερ, scribendi ὅςτις, ὥςπερ, et multa similia, quae quidem pueris usui forent, de syllabis facile errantibus, ceterum nihil aliud quam Graecos libros foedant literae facie barbara et ab ipsis librariis ne ultimis quidem temporibus sic usurpata; hoc ut mitius feramus, (quanquam id ipsum frequentandum ac propagandum non arbitramur,) gravius offendit illa interpunctionis quaedam curiosa neglectio, quae cum minores distinctiones iis locis omittit, ubi omnino sunt necessariae, tantum abest, ut intelligendi facilitatem adiuvet, ut etiam impediat multum. Negligentia haec est condonanda, si qui hodie libros edunt patrio sermone scriptos ingeniosius quam diligentius; quandoquidem Germanis imprimis hoc prope ius conceditur, ut, pro communi

rerum omnium suarum neglectu, lingua etiam vernacula uti possint summa cum levitate et incuria. At philologum quis excuset, cuius hoc proprium munus est recte loquendi scribendique rationes exquirere et custodire, si imitator diligens alienae incuriae confirmare quodammodo indiligentiam ac divulgare consulto instituit? Neque nos nescii sumus, id quod sine magno acumine potest intelligi, nempe quid nimium sit, quid improbandum in usu distinctionum vulgari. Quodsi tamen Heindorfius rectum putavit in illo Platonico loco tollere commatis signa post verba Ἦ σφόδρα, post γενόμενος, et reliqua: quid ipsi porro obstet, quo minus commata omnia ex omnibus libris proscribat et eiiciat? Verum omissis his rebus, quas nunc obiter tetigisse satis habemus, de sententia loci Platonici videndum est, qualis ea aut inesse verbis possit, aut sit inde forsan expressa acumine et intelligentia interpretum. Horum instar omnium est novissimus magni nominis interpres Germanicus, qui loco illo Protagorae, Vol. I. p. 264, ita Platonem fecit Germanice loquentem: „So glaube nun auch jezt, dafs selbst derjenige, welcher sich dir als der ungerechteste zeigt, von Allen die unter Gesezen und mit Menschen auferzogen sind, dennoch gerecht ist, und wirklich ein ausübender Künstler (?) in dieser Sache, wenn du ihn mit solchen Menschen vergleichen solltest, die gar keine Erziehung haben, keine Gerichtshöfe, keine Geseze, und überall keinen Zwang, der sie zwingt sich in allen Stüken der Tugend zu befleifsigen, sondern die solche Wilde wären, wie sie uns im vorigen Jahre der Dichter Pherekrates am Bakchosfeste

aufgestellt (?) hat. Wahrlich, wenn du dich unter solchen Menschen befändest, wie die Menschenfeinde in jenem Chore, würdest du sehr zufrieden sein, wenn du auch nur einen Eurybatos oder Phrynondas anträfest, und würdest jammern aus Sehnsucht nach der Schlechtigkeit der hiesigen Menschen. Nun aber bist du verwöhnt, Sokrates," etc. In his quod *in Lenaeo* dixit scriptor, pro eo interpres, credo, in lectorum gratiam, qui forte nesciant, quid sit Lenaeum, substituit *in Bacchi festo;* de Eurybato et Phrynonda indoctis consuluit adiecta annotatione, quae rem notissimam doceret. De re obscura, Pherecratis dramate, de argumento eius, de ἀγρίοις, quomodo cum eo fuerint argumento coniuncti, de mirificis illis chori μισανθρώποις, quid fecit? Scilicet fecit Scholiastae, Cornarii, aliorum, exemplo: tacuit. Ita qui legunt hunc locum, fastidioso interpretis silentio credant necesse est, expedita, plana, perspicua esse omnia, et, si non stupide legunt, sibique aliquid intelligere videntur, facient intelligendo, ut ille ait, ut nihil intelligant. Hoc aliquanto melius is, qui criticam operam postremo ad Protagoram adhibuit; sensit difficultatem, tenebras vidit: quanquam non habens, quo eas discuteret, etiam spissiores offudit. Verborum ὥσπερ οἱ ἐν ἐκείνῳ τῷ χορῷ μισάνθρωποι Heindorfius repetit Cornarii interpretationem, eandem ac reliquorum interpretum, haec ὥσπερ οἱ... μισάνθρωποι ad illud prius ἐν τοῖς τοιούτοις trahentium: *Profecto, si inter tales homines esses, quales in choro erant illi humanum genus odio habentes* etc. Qua de interpretatione sic decernit vir doctus, ut eam reiiciat duas

ob causas; prima est, quod alii sint ἄγριοι, alii μισάνθρωποι, altera, quod in illa sermonis iunctura non fuerit ἅπερ, sed οἵπερ scribendum: unde alia facta iunctura verborum ὥσπερ οἱ... μισάνθρωποι, haec ad sequentia refert, et de fabulae Pherecratis argumento narrationem addit a se ipso inventam et confictam, non displicituram fortasse eam credulis nonnullis; de qua id tantum dolemus, talem fabulam nunquam Comico Graeco venire in mentem potuisse. Sed priusquam hoc agimus, primum Heindorfio tam plane assentimur, non esse eosdem ἀγρίους ac μισανθρώπους, ut etiam vehementer ridiculum putemus, ex ea sententia, quam interpretes reddunt, μισανθρώπους quaerere inter feros et agrestes homines, ac tales omnino, quales philosophus descripsit ad Homeri exemplum, (hoc enim ipsum non erat praetermittendum,) ὑβριστάς τε καὶ ἀγρίους, οὐδὲ δικαίους, Odyss. VI, 120. et aliis locis. Nempe si sensus est aliquis in vulgari illa interpretatione loci, non potest profecto alius esse quam hic ipse naturae atque adeo sanae rationi repugnans *). Id sane aliquo ducit, sed

*) Non dissimulandum est tamen aliquid, quod si forte meminisset Heindorfius, haud scio an id aliorsum eius sententiam traxisset, et eo minus dissimulandum, quoniam eiusmodi res est, quae parum attentis huius nostrae disputationis vim diminuere aut infringere posse videatur. Nam locus est Luciani in Timone §. 34 et 35, qui eam, quam dixi, repugnantiam summovere possit videri. Ibi Timon ὁ μισάνθρωπος, cum professus est, colloquens cum diis, omnes se simul deos hominesque odisse (πάντας ἅμα καὶ θεοὺς καὶ ἀνθρώπους μισῶ), Mercurius Μηδὲν σκαιόν, inquit, ὦ

non eo, quo aberravit Heindorfius. Altera causa nulla est, eoque magis redarguenda, quod eiusmodi error est, qui necessario aditus omnes ad lucem sententiae inveniendam intercludat. Cum interpretes, quod quisque primum verba intuens faciat, haec comprehenderint, *ἐν τοῖς τοιούτοις ἀνθρώποις, ὥσπερ οἱ . . . μισάνθρωποι*, id posse fieri negat Heindorfius ac pronuntiat, in illa iunctura non *ὥσπερ*, sed *οἷόσπερ* fuisse scribendum. Possumus errare ac multa nescire in materia tam copiosa tamque inexhausta scientiae veterum linguarum: sed si quis sic errat, uti in hac re errat Platonis editor, tanto est in re parva gravior error, quanto certius tali ab causa profectus, quae communis sit necesse est multorum aliorum errorum, ac nimis impediat omnino loquendi normae et consuetudinis veram perfectamque cognitionem. Nam quis credat, legitimam in Graeco sermone iuncturam *τοιοῦτος, ὥσπερ* non agnosci posse et praefracte negari ab eo, qui paullo ante in eodem Platonicorum Dialogorum volumine, ad Phaedonem

Τίμων, *ἀλλὰ τὸ πάνυ τοῦτο ἄγριον καὶ τραχὺ καταβαλὼν, προτείνας τὼ χεῖρε, λάμβανε τὴν ἀγαθὴν τύχην, καὶ πάλιν πλούτει*, κ. τ. λ. Sed ista *ἀγριότης* Timonis, ne quis erret, longe alia est; truculentia est et morbus hominis, cuius atra bilis curanda erat, quique eodem loco aperte dicitur *μελαγχολᾷν*. Contra quam illi, qui *ἄγριοι* a Platone dicuntur, genus est validum, robustum, denique incredibiliter sanum, in quos nulla omnino cadit *μισανθρωπίας* suspicio. Quae quidem diversitas facile potest aliter etiam demonstrari. Sed demonstratione non opus est in re vel sic satis perspicua et quae haud facile quemquam paullo intelligentiorem fallat.

§. 79, notaverat prioris audaciam editoris in verbis, εἴ τις διισχυρίζοιτο τῷ αὐτῷ λόγῳ, ὥσπερ σὺ, de coniectura scribentis ᾧπερ, tribus simul idoneis exemplis allatis, quorum unum eadem verba coniungit ὁ αὐτὸς, ὥσπερ, duo altera ad eandem similitudinem illud ὥσπερ habent post vocabulum ἴσος praegressum? Quanquam illud apud optimos auctores multo usutatius est, quam in ista unius exempli solitudine videatur. Demosthenes, quo nullus alius scriptor, quamvis in genere multum dissimili, utilius conferri cum Platonis sermone potest; is igitur Olynth. I. p. 13, 19. τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ οἱ δανειζόμενοι, ubi perpauci libri et nullius momenti ὅνπερ scriptum habent, quae est alterius illius verae lectionis explicatio. Priscianus XVIII. p. 1195, 5. ponit eundem hunc locum Oratoris et ὥσπερ explicat adiecto: „ἀντὶ τοῦ, ὅνπερ." Sed haec explicatio forte veram vocem expulit alio deinceps loco Grammatici p. 1209, 10. ubi eadem verba iterum ponuntur. Item Demosthenes Philipp. I. p. 51, 15. καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ τῶν στρατευμάτων ἀξιώσειεν ἄν τις τὸν στρατηγὸν ἡγεῖσθαι, ubi notata nulla varietas, Hieronymum autem Wolfium nemo curet, qui iterat suum „Malim ὅνπερ," quod iam semel cecinerat priorem ad locum. Et iam antea Orator in eadem Orat. p. 46, 4. ὥσπερ τοὺς πεζοὺς, τὸν αὐτὸν τρόπον στρατευομένους, ubi ὥσπερ sua in statione firmius consistit, quam ut vim ullam correctricem timere debeat. Isaeus Or. de Meneclis Hered. (in Bibl. Gotting. antiqq. Litt. et Art. P. III.) §. 6. καὶ ἐγὼ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ γόνῳ ὄντα, πατέρα ἐμαυτοῦ ἐθεράπευον. Isocrates Paneg. §. 4. ex omnium testimonio librorum: καὶ τοῖς

ἀνόματι τοῖς αὐτοῖς, ὥσπερ τοὺς οἰκειοτάτους, τὴν πόλιν ἔχοντες προσειπεῖν. Rursus non tulit Hieron. Wolfius, οἵσπερ corrigens; sed illud Morus revocavit, „quippe non alienum a Graeca consuetudine, ut ὥσπερ post ὅμοιος, de Permut. p. 460.“ Quem locum incogitantius huc traxit vir alioquin elegantis iudicii. Locus est enim §. 8. huiusmodi: ὅμοιον ἐργαζόμενος, ὥσπερ ἂν εἴ τις ἱεροσυλίας ἕτερον διώκων αὐτὸς τὰ τῶν θεῶν ἐν ταῖν χεροῖν ἔχων φανείη, eadem constructione, quam Cicero Latine expressit de Senect. §. 17. „Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant, *similesque sunt, ut si qui* gubernatorem in navigando agere nihil dicant,“ etc., qui locus nunc interpolatus legitur intempestiva correctione Lambini, Graevii, Ernestii, cum tamen, ui meminerant Graecae proprietatis, unde tam multa apud principem Romanae eloquentiae pendent, debebant duntaxat scire, quid in eodem genere sit alibi Ciceronianum, demonstratum ab Heusingero ad Offic. I, 25, 6. Sed in altero genere, de quo cum maxime agimus, Graecae ratio consuetudinis nuper etiam Corayum fugit, cuius Isocrates isto loco Panegyrici habet οἵσπερ mutatum, cum tribus his verbis in Σημειώσεσι p. 33. „Οἵσπερ] Ἐκ διορθώσεως Οὐολφίου, ἀντὶ τοῦ, Ὥσπερ“. Atqui ea quam sit vana διόρθωσις, et quale ausum hominis Graeci, de vetere lingua maiorum suorum interdum paullo plus iusto sibi fidentis, nunc nihil necesse est explicare diserte. Iam vero si quem, uti par est, movent exempla a nobis allata, ut inde colligat, quid in toto hoc genere usus Graecorum ferat, dubitare non potest, quin in loco Platonico aequum ius dari de-

beat vocabulo ὥσπερ, ut, secundum iuncturam eam, quae facillime cuivis occurrat non cum falsa melioris scientiae opinione legenti, quamque iam pridem secuti interpretes sunt, ut non minus id recte sequi possit post τοιοῦτος, simillimam vocem, etiamsi plura eius non supersint exempla, aut necdum inventa sint.

Sed implicatus suo errore Heindorfius argumentum fabulae Pherecratis excogitavit prorsus novum et mirificum, quale dixi Comico Graeco ne venire quidem in mentem potuisse. Nam ut in verbis, ita in rebus (hoc enim discrimen etsi aliter vulgo inepte statuunt, est tamen ipso hoc nomine aptissimum) quemadmodum plurimum interest, non modo scire, quid vere factum sit, sed etiam, quid, quamvis testatum non reperiatur, non minus tamen pro certo haberi queat, sic rursus, si coniectura periclitandum est, considerare oportet, quid, etiamsi nullus testis repugnet, non tamen credi propter ceterarum omnium rationum dissimilitudinem possit. Heindorfius quid de comoedia Pherecratis narret, et qualem eius chorum architectetur, *misanthroporum* scilicet, terribiliorem hercle futurum Aeschyleo choro Eumenidum, si tale portentum chori unquam cogitari Athenis, nedum in scenam produci potuisset, haec apud ipsum, qui volet, legerit melius: neque enim necesse est data opera refutare, quorum cum per se pateat infirmitas, tum, re demonstrata, mox multo plus falsitas apparebit. Excusationem coniecturae quaesivit vir doctus, cum fateretur, de eius fabulae argumento reperisse se nihil notatum. Notavit quiddam Andreas Dacierus, Gallicus interpres

Platonis, Vers. T. II. p. 480, quod si forte reperit Heindorfius, poterat recte contemnere et pro nihilo putare, si quid melius afferret *). Atque id nunc agamus, et vindicemus partim ea, quae iam ante complures annos parum clamose prodita nimis matura videtur oblivio intercepisse **).

Cum literarum artiumque veteris Graeciae pars magna sit et praecipua, eaque potissimum vim locupletem Graeci ingenii varietatemque ostendens, theatralis poesis et universae rei scenicae inventio ac perfectio; cumque de huius artis reliquiis, quae aetatem tulerunt summorum poetarum tragoediis et comoediis, a tam multis tam studiose certatum sit, ut earum vera, si modo vera est, existimatio, et acuta seu laudum seu vitiorum dignatio, non modo inter doctos constaret, verum etiam disseminata populariter ad mulieres et infantes veniret: desunt tamen adhuc nimis multa perficiendae huius totius rei historiae criticae, iustaeque cognitioni et poetarum et poesis scenicae generum, quam ut labor multiplex eruditior ad scien-

*) Dacieri haec est annotatio, cui suum ita honorem tribuimus, ut elegantes eius nugas in margine ponamus: „Le Poëte Pherecrates avoit fait joüer une piece qui avoit pour titre Ἄγριοι, *les sauvages*, et il y a de l'apparence qu'il y representoit la vie malheureuse que menoient les premiers hommes avant qu'ils fussent unis par la societé, et son but estoit de faire voir aux Grecs qu'il n'y avoit de bonheur pour eux, que d'estre bien unis, et d'executer de bonne foy le traité de paix qui venoit de terminer une longue et funeste guerre". Euge!

**) De argumento huius ipsius fabulae Pherecratis utcunque diximus in append. Epimenidis p. 188. seqq.

tiam augendam iudiciumque regendum non magnopere etiam requiri videri posset. Si modo initia spectes et origines scenicae artis Graecorum, tametsi, quantum ex serotinis literis erui possit, ita erutum est magni Bentleii acumine, ut vix probabiliter, quae eius arte sunt explorata, rursus addubitari queant, tamen nova nuper via patefacta est longe diversae uberrimaeque quaestionis instituendae ex tot monumentis Doriensium populorum, Siciliae praesertim et Magnae Graeciae; quae si quis negligat, cum in iis percopiosa indagandi materia versetur, scire quidem potest, conciliatis, si forte, historiis posteriorum scriptorum, quid fere Atheniensium tulerint mirum quantum plerumque ambitiosi rumores, sed idem nesciat, quid altera ex parte, eaque tanto plus digna quae audiatur, quanto eius simplicitas minus suspecta potest haberi, antiquissimi alius Graeciae populi, non libris saepe fallentibus, sed ipsis reliquiis monumentisque testentur. Aliud est, nostraque cum re multo coniunctius, quod, cum tanta exstet seges, per varios libros literatorum veterum disiecta, fragmentorum ex innumeris deperditis Graeciae fabulis scenicis, velut tabularum ex ingenti naufragio, superstitum, licet in singulis nonnullis opera praeclarorum aliquot Criticorum haud pauca illustrari coeperint, ad universa tamen, nemo adhuc inventus sit, qui curam conferret, et collecta undique omnia ac digesta ad sua genera, suos auctores et titulos, argumenta denique sua, id quod fieri saepe potest, restitueret, eoque studio quasi in vitam revocaret deperditam Graeciae scenam: quanquam certum est, si quis idoneus velit eo in campo opus facere,

qui profecto *fundus mendax* non est, immo spem praebet non dubiam largissimae messis, nihil fore magis accommodatum cum ad declarandam omnem hanc partem antiquitatis, tum ad pernoscenda multa ingenia illustria Graecorum. Indices Fabriciani, nuper aucti eodem digitorum labore, quo primum confecti fuere, nemo peritus ignorat, quam sint inanes et expertes rerum omnium, quae in hoc genere maxime necessariae sunt. Sed, praeter alia, argumenta quoque fabularum quarumdam deperditarum posse restitui, ne cui dictu incredibile videatur, damus exemplum, unum de multis, Pherecratis Ἀγρίους, cuius quidem comoediae summam reconcinnavimus argumentatione haudquaquam incerta, iamque facile inde aperiemus obscurissimum locum Platonis. Nempe illa Comici fabula, sive genus spectes, quod allegoricum, sive argumentum, quod civile simul et technicum fuit, utrimque ea admodum memorabilis, ad artem musicam tota pertinebat et corruptelam eam, quae, mutatis legibus musicis et ad dulcedinem mollitiemque depravatis, in animos civium influere, atque morum severitatem, reipublicae causa potissime retinendam, dissolvere et enervare multis visa est: qua de re nec opus est repetere quae alias memoravi, et veterum opiniones cognosci facile possunt tum ex Platonis quarto de Republica libro, tum ex secundo Ciceronis de Legibus. Ex hac fabula locum affert Suidas in voc. Χαῖρις, (nam ibi titulus nihili legitur Ἀγροὶ, pro Ἄγριοι,) eundemque Scholiastes Aristophanis ad Aves 859, quem cum Toupius emen-

dare incepisset, Emendation. in Suid. P. III. p. 570. ed. Oxon. (562. Lips.), emendationem perfecit Porsonus in Appendice p. 481. hoc modo:

Φέρ' ἴδω, κιθαρῳδὸς τίς κάκιστος ἐγένετο;
Ὁ Πεισίου Μέλης· μετὰ δὲ Μέλητα τίς;
Ἔχ' ἀτρέμ'· ἐγῷδα. Χαῖρις.

Secundo versu plena interpunctio post nomen Μέλης erat ponenda. Colloquuntur enim inter se duo actores de citharoedis, musicae corruptoribus, Melete, Pisiae filio, et Chaeride. Horum autem versuum si sententiam, causamque, quo ea pertineat, reputamus, non possumus non pro certo habere, servatos eos esse ex eadem fabula, unde excerptus sit nobilissimus ille locus Pherecratis apud Plutarchum de Musica p. 1141. (683. Tom. X. Reisk., 667. T. V. P. II. Wyttenb.), quoquo modo e coniectura sanatus a Brunckio, Not. in Aristoph. T. III. p. 170, sed medicum alterum exspectans Hermanniana arte: qui locus querelas continet ipsius Musices, quas illa, in scenam inducta mulieris habitu, ac toto corpore foede contumelioseque vexata, tollit, dum Iustitiae respondet sciscitanti talis habitus causam. Nomen fabulae, ubi haec agebantur, Plutarchus dicere noluit, cum tamen posset, qui quidem integrum librum sine dubio manibus versabat. Sed nomen addit, coniungendus cum testimonio Plutarchi, Nicomachus Harmon. Man. II. p. 35. Vol. I. Music. Vett. Meibomii. Loquitur de citharoedis, Theophrasto Pierita, Histiaeo Colophonio, Timotheo Milesio, aliis, per quos paullatim multitudo chordarum citharae

ad octavam decimam esset adducta, eorumque ait in cantibus mollitiem castigatam patere a Pherecrate Comico in *Chirone*, sic inscripta fabula (ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Χείρωνι). Quid vero? Si Χείρων haec fuit inscripta fabula, quomodo ea non diversa esse potuit ab Ἀγρίοις? Potuit quidem facillime, cum, ut aliae permultae fabulae, duplici sub nomine ferebatur, ita inscripta: Χείρων ἢ Ἄγριοι, prius nomen a Chirone, cuius primariae erant in fabula partes, posterius a choro sortita. Chiron quid faceret ad musicum argumentum, quaeri non potest, nisi ab eo, qui forte nondum cognorit illum, non δικαιότατον solum, sed etiam μουσικώτατον Centaurorum. Demandatae huic in fabula partes antistitis et velut propugnatoris musicae vetustae suaque simplicitate incorrupta et mascula incitantis, non emollientis, animos. Artifici ars erat adiuncta, Musica, cuius, a multis tum novatoribus misere iniuriis affectae, tanquam causa agebatur, illo Centauro patrono, sub iudice Iustitia; quae, Δικαιοσύνη appellata Plutarcho, persona simillima fuit τῷ Δικαίῳ Λόγῳ Aristophanis. Is qui e celeberrimis scenae fabulis magnum personarum numerum congessit, Pollux in Onomastico, quas comicas personas commemorat Δίκην et Κένταυρον, IV. s. 142, eas perquam credibile est ex hoc ipso fonte Pherecraticae fabulae esse sumtas. Qua in re non fortuito factum esse arbitror, ut personam a genere *Centaurum*, nec vero Chironem nominaret; quandoquidem illo in dramate plures erant et omnino grex Centaurorum, iisque omnibus una communis persona, inter quos tamen potuit vel cithara et cantu satis insignis esse Philyrides. Etenim quod coniuncti

cum Chirone Ἄγριοι chorum facerent, cui non ultro occurrit, nonnisi Centauros fuisse illos, ferum et hirsutum genus? Ἄγριον φῦλον eosdem Strabo aeque dicit IX. p. 439. D. Casaub. Satyros, et ipsos ἀγρίους, choro socios fuisse admixtos, praeter alia, verisimile hoc facit, quod veterani utrique erant in comitatu Bacchi commilitones. De Centauris, quid faciant ad Dionysum, erudite multa disputata a Boettigero sunt; cui succedens nuper Creuzerus huius omnem societatis causam ad *orientalium hominum opinionem* reiecit, in Dionyso p. 271. Verum de hac re licebit tum denique certius iudicare, cum aliquando fuerit altius quaesitum, qualis sit omnino in cultu numinis Dionysi vis late patens ac significatio τῆς ἀγριότητος, sane permulta complexae in religionibus illis: unde etiam ipse deus Φηρομανὴς dictus, quem Iacobsius, dum de tigribus solis, aliisque feris, quas ille mitigaverit, cogitat, nimis anguste videtur esse interpretatus, Animadvers. in Anthol. Graec. II, 3. p. 410, cum tamen, ne alios dicam, ab isto amoris affectu saltem exclusi esse non possint nobilissimi Φῆρες ὀρεσκῷοι (Hom. Iliad. I, 268.), Centauri. Atque, hoc considerato, demum iudicium fieri potest de eo, quod Zenobius tradit notissimo loco Proverbiorum V, 40, et illinc cognosci, quam sit parum haec credibilis causa, cur coeperint Graeci in proverbio usurpare illud οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, nempe quod poetae mox Gigantes et Centauros argumentum fabularum fecissent. Quo in loco Zenobii *Gigantes*, nec vero *Aiaces*, commemorari, atque verissimam esse Bentleii correctionem Γίγαντας, pro Αἴαντας, etiam Boettigero probatam eam, non

licet aliter plane intelligi, ac si quis sciat, quo ex fonte haec ducta emendatio sit. Nimirum qui, etsi multa docent, multa tamen non dicere solent, quae facile possint dicere, ut Bentleius et perpauci similes viri, plus saepe habent in recessu, quam in fronte gerunt; contra quos disputare est difficile nisi instructo aeque immensis doctrinae et scientiae copiis. Alioqui plerumque fiat necesse est, ut operam perdat, qui adversus Bentleios et sibi ipsi loqui videtur et aliis vult videri. Atque idem censemus, ea quidem libertate, quae his literis tribuenda est, quodammodo accidisse Dahlmanno, viro docto et quem honoris causa nomino, cum Commentatione, Hafniae edita (1811), primordia et successus scenicae artis Atheniensium post Bentleium illustranda suscepisset: ubi, praeter alia contra principem Criticorum, minus feliciter, ut ego arbitror, disputata, quod dicit, illum Zenobii locum neque esse persanatum a Bentleio, neque ab eodem sibi inspectum videri ipsum Zenobium, alterum hoc quid sit, me parum intelligere fateor, et illud prius frustra pronuntiatum esse puto. Nam, pro ineptis Aiacibus, postquam Gigantes Bentleius restituit, quid amplius possit deesse ad totius loci sanitatem, non video: nisi forte ibi verbum γράφειν suspectum sit, quod tamen ipsum est de poetis, qui *scribebant*, sanissimum. Sed adhuc ratio latuit emendationis Bentleianae, eaque ratio inveniri potest in fabula tradita ab Eratosthene Catast. c. 11, ac repetita ab Hygino et Scholiasta Germanici, quorum loca interim Koppiersius dabit, qui ea contulit Observv. Philol. p. 109.

Iam ratione fabulae Pherecratis patefacta, ut mittamus nonnulla, quae addere promtum sit, restat tamen, quod etiam attingi poscat. Si *Chiron* fuit eadem comoedia, quae aliter Ἄγριοι nominata est, dubitationem moveat *Chiron*, quatuor locis laudatus apud Athenaeum, incerti auctoris, quem alii Pherecratem ferebant, alii Nicomachum, τὸν ῥυθμικὸν, alii alium. Vid. Athen. VIII. p. 364. A. IX. p. 368. B. et 388. F. XIV. p. 653. F. Nempe in fragmentis, quae inde affert Athenaeus, nusquam ullum vestigium exstat argumenti eiusmodi, quale antea Pherecraticae fabulae adumbravimus. Versus sunt heroici plerique, alii iambici nonnulli, sententiae autem heroicorum παραίνεσεις, et quidem illae παρῳδημέναι ex Μεγάλαις Ἠοίαις et Ἔργοις, Hesiodeis carminibus, aut translatae ex Theognide et ipsis Hesiodi Ἔργοις: nam duos Ἔργων versus relatos p. 364. D. in eodem illo Chirone positos fuisse, ex quo reliqua sumta sunt, Schweighäusero, sic existimanti, plane assentior. Quanquam quod, inter alios, Nicomachus, ὁ ῥυθμικὸς, ut auctor operis, appellatus est, ea res fidem facere potest, in eiusdem operis argumento non defuisse, quae ad huius Nicomachi artem pertinerent. Qui enim aliter credi potuisset, a Rhythmico profectum esse carmen? Enimvero hoc ipsum carmen, equidem statuo, ab ea, cuius apud Platonem aliosque mentio est, Pherecratis fabula omnino seiungi et diversum haberi oportere. Ne comoedia quidem fuit, ut opinor, ille quatuor locis Athenaei memoratus *Chiron*. Quod vero erant, qui hunc quoque Chironem adscriberent Comico, id fecit error tam late diffusus in veterum literis, ut circum-

ferrent ψευδωνύμους libros permultas ob causas. Poterant esse, qui legerent etiam Pherecratis nobilem comoediam, et tamen alium librum, quantumvis diversum, sed qui simili Chironis titulo falleret, ad idem Pherecratis nomen referrent: hi erant benigni, qui uno Chirone nollent contentum esse Pherecratem; quomodo saepius veteres in ipsorum literis errabant, ea decepti credulitate, quae tulit etiam maiora miracula. Ceterum hunc alterum Chironem ut credamus πολύμετρον carmen fuisse ac simile Chaeremonis Centauro, soli non cogunt postremo Athenaei loco, praeter reliquos epicos, tres versus iambici allati. Immo, cum auctor eorum ab Athenaeo ita significetur: ὁ τὸν Χείρωνα πεποιηκώς, τὸν εἰς Φερεκράτην ἀναφερόμενον, poterant isti tres iambici versus recitati esse ex veri Pherecratis Chirone, et tamen perinde laudari, tanquam sumti essent ex poemate falsi Pherecratis: quod poema cum iam pluribus ante locis commemorasset scriptor ubique cum significatione incerti auctoris, facile erat, festinantius semel eandem attribuere significationem Chironi, quantumvis certi auctoris, comoediae. Quod si existimari verisimiliter, et propterea credi potest, nonnisi heroicis versibus totum fuisse scriptum carmen; deinde si reputamus huius argumentum carminis, quod praeceptivum *) fuit et ex genere ὑποθηκῶν; si eius titulum etiam, *Chironem*, recordamur: hinc illustrare licet for-

*) Seneca Epist. 95. init. „pars philosophiae, quam Graeci παραινετικὴν vocant, nos praeceptivam dicimus". Labentis Latinitatis voces et locutiones recte usurpamus, ubi alia desunt satis Latina.

tasse Ὑποθήκας, poema temere olim affictum Hesiodo, quas Χείρωνος ὑποθήκας Scholiastes Pindari ad Pyth. VI, 19, et explicatius Pausanias vocat παραίνεσιν Χείρωνος ἐπὶ διδασκαλίᾳ τοῦ Ἀχιλλέως, Grammaticus autem Aristophanes primus negavit esse Hesiodi (Quintilian. I, 1, 15.): cuius poematis initium vir sanctae nobis memoriae Heynius ex Codice MS. Gotting. Scholiorum Pindari l. c. plenius retulit, ita scribendum emendatius:

Εὖ νῦν τοι τάδ' ἕκαστα μετὰ φρεσὶ πευκαλίμῃσιν
φράζεσθαι· πρῶτον μὲν ὅτ' εἰς δόμον εἰσαφίκηαι,
ἔρδειν ἱερὰ καλὰ θεοῖς αἰειγενέτῃσιν.

Qui versus sine dubio exordium sunt consentaneum cum fragmentis, quae e Chirone servata apud Athenaeum exstant: unde, ceteris assumtis indiciis, colligi queat, utrumque fuisse idem poema. Huic quod illustris Grammatici obelo nomen Hesiodi erat detractum, iam inde ratio apparet, cur ad varios auctores potuerit referri vaga opinione imperitorum: inter quos erant adeo, qui de Pherecrate cogitarent, cuius comoediam norant Chironem, quemque putabant scilicet patrem fuisse ceterorum omnium Chironum *).

*) Restant nonnulla de Ὑποθήκαις his dicenda, sed reservanda libro, quo historiam criticam totius poesis Hesiodeae, et verae et falsae, comprehendimus. Corrigendi sunt etiam de hoc carmine aliquot vulgati errores eruditorum; in quibus is gravis est, qui carmen nimis antiquum facit. Alia falsa opinio est, Fabricii illa in Bibl. Gr. Vol. I. p. 15, et Spaldingii ad Quintil. l. c., tributum fuisse carmen Hesiodo ab Aristophane quoque Comico,

Iam ad locum Platonis est redeundum et summa disputationis concludenda. Defendimus, rectam esse et legitimam iuncturam verborum in Graeco sermone eam, qua, praegresso τοιοῦτος, ὥσπερ ponatur; notitiam aperuimus argumenti Pherecratis fabulae, et, quod praecipue erat ad rem necessarium, ostendimus ἀγρίους, quales fuerint chori, quam omnino alieni ab *odio hominum*. Quid igitur μισανθρώποις fiet, quos tamen habemus in contextu loci? Videlicet habemus illos profecto nonnisi ex vetere corruptione scripturae, eamque corruptionem tollamus tandem facillima aeque et certissima emendatione. Sic enim haud dubie legendus est locus philosophi: Ἦ σφόδρα, ἐν τοῖς τοιούτοις ἀνθρώποις γενόμενος, ὥσπερ οἱ ἐν ἐκείνῳ τῷ χορῷ ἡμιάνθρωποι, ἀγαπήσαις ἄν, εἰ ἐντύχοις Εὐρυβάτῳ καὶ Φρυνώνδᾳ, κ. τ. λ. In re manifesta pluribus verbis opus non est. Chori ἄγριοι nunc alio vocabulo, et τοῖς ἀνθρώποις in proximo membro dictis opposito, vocantur ἡμιάνθρωποι, *semihomines*, quales, ut sunt, ita dicuntur Centauri in versu Ovidii, Met. XII, 636. Vox Graeca composita non nimis vulgaris mox in aliam abiit

quia is dicitur in Δαιταλεῦσι, comoedia deperdita, iocosa praecepta iactasse παίζων τὰς Ἡσιόδου ὑποθήκας. Nempe istae non sunt intelligendae Χείρωνος ὑποθῆκαι, sed praecepta tradita ab Hesiodo in Ἔργοις, nobili carmine. Quod vero ex illa comoedia afferunt comicum praeceptum, καὶ κόσκινον ἠπήσασθαι, *cribrum, si ruptum est, sarcito*, vir doctus ad Thom. Mag. p. 26. ridicule ait, Aristophanem usurpasse *ex* Hesiodi Ὑποθήκαις. Chiron Achillem instituit *Venatu*, *fidibus*, *palaestra et herbis* (Sidon. IX, 131.); ecce, nunc etiam arte sarciendi cribra!

librariis saepius auditam: quarum vocum confundendi ratio eo plus patet, quo facilius in antiquo exemplo potuit evanida esse initialis veri vocabuli litera. Ceterum haec vox ἡμιάνθρωπος etiamsi nusquam hodieque ullo in Graeco libro legeretur, ea tamen minime dubia foret vel propter similia ἡμίανδρος, ἡμιγύναιξ, aliaque multa, collecta a Scotto in Appendice ad Stephanum, et hinc translata in Lexica vendibiliora. Sed ipsa legitur etiamnum apud Lucianum Deor. Conc. §. 4. T. III. Reitz. p. 529, et fortasse uno vel altero loco posteriorum Platonici sermonis imitatorum. Exstat haec etiam glossa in Glossariis veteribus ab H. Stephano primum editis: Ἡμιάνθρωπος, *Semihomo.* Sed verbum non amplius addam: nec enim quidquam deesse iam arbitror, quod posset videri esse loco ex molesta et diuturna caligine tandem revocando in lucem.

Corrigendum pag. 3. l. 9. „haud du*bie*".